



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Stimvlvs Compvnctionis, Et Soliloqvia**

**Juan <de Jesús Maria>**

**Coloniae, 1611**

De contemptu mundi. Cap. 6.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45624**

rapaces, & quærunt perdere dilectam animam meam. Profiteor me nolle alium Regem nisi te, qui dulcissimæ charitatis legibus Regis fidelissimos seruos tuos.

*De contemptu mundi.*

CAP. VI.

**B**Eatus vir, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris cum. Huic certe mundus crucifixus est, & ipse mundo, quem grandi sensu tuo contemnit. Cuius contemptus causa est, vt existimo, quia iustitiæ tuæ, Domine, sunt rectæ & laudificantes corda, & præceptum tuum lucidum illuminans oculos. Illumina ergo me, o lux formosissima, cuius comparatione non lucent astra matutina, vt videam mundi vanitatem, & figuram citò transeuntem, & contemnam illam. Utinam, o Veritas fortissima, quæ vincis omnia, bene caperem sensum tuum, vt despicerem mendacia filiorum Adæ, qui à te auditum auertunt! Utinam penetraret cor meum vox dicentis: Omnis caro fœnū, & cecidit flos, quia ventus Domini insufflauit in eo! Hæc est sapientia sapientum, & fortitudo fortium, Domine, vt  
 Chri-

Christiano sensu tuo, & altissima fide  
tua, spernant visibilia bona honorum, di-  
uitiarum, & deliciarum, propter meliore,  
& manentem substantiam, quæ legitimis  
certatoribus conseruatur in coelis. O sub-  
stantia domus Dei, quàm contemptibilia  
sunt patrimonia mortalium, comparata  
cum pretio tuo! Profectò sapienter fecerunt  
pauci illi amatores tui, qui noluerunt  
habere hæreditatem in terra morientium,  
vt hæreditate possiderent te! Et ego  
desiderans esse è numero paucorum, de-  
spicio omnia desiderabilia mundi, ita vt  
si honores, voluptates, & diuitiæ affluant,  
nolim cor apponere. Transibo ergo, qua-  
si peregrinus futuram ciuitatem inqui-  
rens, & destitutus solatio in præsentis sæ-  
culo, festinabo ad dulcissimam patriam  
meam. Imitabor fortes pugnatore, qui  
noluerunt suscipere apparentem mundi  
redemptionem, vt meliorem inuenirent  
resurrectionem, currentes ad refrigerium  
suum. Fac, O sapientia Dei Altissimi, vt  
contemptus mundi imprimatur visceri-  
bus meis. Fac, vt abominer fructus ter-  
ræ, vt ascendam in palmam, & colligam  
melle dulciores fructus eius.